





Ordinis Minorum S. Francisci.

CVM expositum fuerit Sacrorum Rituum Congregationi in vltimo Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Romæ Anno 1688. celebrato, conditum fuisse statutum, quod asseritur reperiri inter Constitutiones impressas ipsiusmet Capituli sub Titulo: Pro Tertiarijs, & Cordigeris num. 48. huiusmodi tenoris videlicet.---*Ex instantia trium Statuum Tertij Ordinis Obedientiæ nostræ, ac directioni subiectorum statuitur, vt sicut ipsi omnia Officia Sanctorum, & Beatorum primi Ordinis recitant, eorumque solemnitates sub eo celebrant Ritu, sub quo celebrantur à Nobis: ità Nos, obtenta priùs à Sacrorum Rituum Congregatione huius Decreti approbatione, Officia Sanctorum, & Beatorum sui Ordinis, sub Ritu apud præmemoratum Directorium trium Ordinum relato, & inter ipsos consueto facere, & recitare teneamur.* Cumque Pater Frater Franciscus Diaz à S. Bonaventura præfati Ordinis Diffinitor Generalis, ac Sacrarum Congregationum Rituum, & Indicis Consultor, de consensu Patris Procuratoris Generalis eiusdem Ordinis humillimè supplicaverit huic Sacræ Cógregationi pro approbatione Statuti prædicti, ab eadem hucusque minimè obtenta. Eadem Sacra Congregatio, ad Relationem Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Iudice prædictum Statutum benignè approbavit. Die 27. Martij. 1694.

A. Card. Cybo.
Loco ✠ Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Secr.

ROMÆ, Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ. 1694.